



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Anatolia Virg. & Mart. 9. Julii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

*dire ne occiderentur: illud fecit beatos, non stud.* Disce quam nobilis seminis fructus sis. *Sanguis enim Martyrum semen est Christianorum.* Gratum te præbe, eorum festa & reliquias, ac præsertim patriæ patronos venerare,

3. SS. Martyres Dei Lapidati sunt, scelli sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Heb. II, v. 37. ut Martyres aliquo modo imiteris, dictum illud divinæ veritatis adimple. Matt. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue & projice abs te: si dextera manus tua scandalizat te abscinde eam & projice abs te &c.* hoc faciens Martyr eris sine mutilatione, & sua quoque membris passis dabitur gloria in cœlis.

## S. ANATOLIA

Virg. & Mart.

9. Julii

*Quis nos separabit à Charitate Christi.* Rom. 8.

**R**ectè Liliū dixeris Virginitatem, sed spinas easque plurimas inter. Vel ANATOLIA palàm id facit, pulcherrimi candoris ipsa liliū, quod ubi capere procius impudens desperavit, ex amatore hostis factus, fidem apud Judicem accusavit, cujus castimoniam non potuit. Itaque ex veteri sed pessimo more in exilium virtus mittitur.

B 3

Sed

Sed fallor: patriam putâsſes, ita in honore etiam ibi fuit. Etenim, cum Diodori Viri Consularis filius (Anianum dixerunt) à malo genio correptus sæpenumero discuſſiari ab ANATOLIA se clamitâsſet, quin ruptis ſubinde vinculis ad illius pedes abjectus miſſionem tandem accepſſet, ilicet ea fama totum Piceni agrum pervasit, ut jam commune omnium Morbidorum aſylon Virgo exul eſſet; jamque tam felix exilium invideret Decius, ideóque huic vincula, equuleos, & flammæ ſuperadderet, quin etiam Audacem nobilem Magum evocaret, qui immanem in Virginem ſerpentem armaret. Sed pepercit hic Virginitati, non item Magiſtro ſuo Audaci, utpote in cujus collum ita invaſit, ut niſi manum auxiliarem Virgo tuliſſet, pereundum illi ab hoc collari fuiſſet, quam tamen ſic Audax cervicem ſerpenti, Chriſtianus poſtea gladio non ſubduxit, quo ANATOLIA denique etiam trajecta, pudorem ſanguine tinxit, hoc eſt: Liliis Roſas miſcuit. *Ex Surio.*

M E D I T A T I O.

*De impuro & de divino amore.*

**D**vo amores, inquit S. Aug. in Pſal. 64. duas faciunt civitates: *Jeruſalem facit amor Dei, Babyloniam*

niam facit amor seculi & carnis. Interroga ex te, cujus sis civis? Amori impuro vel semel etiam obtemperasse pudet, & ex pudore dolor, ex dolore timor, ex timore angor & atrox ex angore horror. Quam turpe hoc jugum tyranni amoris? Ideo Seneca lib. 2. de Clement. *Etiamsi scirem, Deos mihi veniam duros, & homines non cognituros, tantum propter vilitatem carnis, peccata carnis fugerem.*

2. Jugum Divini amoris describit S. Bernardus: *O jugum sancti amoris, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, pramiorum sublimitas.* Quis non sancto ambitu vellet esse concivis in Ierusalem, ubi divinus amor tam sanctè & delectabiliter animæ dominatur.

3. Plato triplicem statuit amorem: bellinum, qui coinquinat; Divinum, qui occurrente pulchro aspectu ad contemplationem animum extollit, & ab omni labe remotus est; & humanum qui inter utrumque medius, sensus quidem oblectat, sed vitium refugit. examina amorem tuum humanum, quem fortè dicis esse affectum humanitatis. *Credite, inquit S. Ambr. in ep. ad Nepot. manuscula, judariola, fasciolas, & vestes, ori applicatos, ac degustatos cibos, blandasq; ac dulces literas, [adde] otiosas visitationes, colloquia inutiliter protracta, sanctus amor non habet.*

**S. FELICITAS Mart.**

10. Julii.

Si